



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Commentaria Vetustissima & profundissima Super Canticvm Canticorum Salomonis Qvod Hebraice Dicitvr Sirhasirim

Wolbero <de Sancto Pantaleone>

Coloniae Agrippinae, 1630

Fr. Henrics Grauius Lectori Beneuolo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10027

Fr. Henricus Grauius Lectori Beneuolo.

Commentaria Venerabilis Domini Abbatis VVolberonis, licet deuotis ac Deo consecratis Virginibus quondam ita postulantiibus, ab Authore ipso conscripta & inscripta fuerint, volueritq; cum Sanctimonialibus solis illa delitescere, neque communem in lucem prodire, nisi ab aliquo correcta in opus elaboratum ac masculinum euaserint: nolim tibi persuasum habeas Lector Beneuole, quasi opera mea hoc ipsum assecutus fueris. Hac namq; verè de se humiliter sentientium virtus est, magna & præclara agere aut scribere, & nihilominus parue & mediocriter de se, suisq; sentire. Emicat in hac Virtutis specie non vulgariter Abbas noster VVolbero, in cuius Commentarijs licet antiquissimis, sed assiduo annorum nouem studio congestis tantum abest vt informe aliquid, vel muliebre, aut lima emendatori indigens offenderim (licet in dedicatione Religiosis sororibus suis nuncupata, alijsq; operis, huius Prefationibus hoc ipsum innuere videatur) vt diuino magis quam humano spiritu cõceptum & calamo exaratum opusculum hoc videri merito debeat. Quapropter latere te nolim quicumq; operis huius Lector futurus es, parum me Commentarijs huic de proprio aut addidisse aut miscuisse, nisi vbi sensus ambiguitas, Periodorum dissolutio versuumq; disunctio simile quid desiderare visum fuerat. Hac fortassis erant, qua Lectorem delicatum in VVolberone antiquo offendere potuissent. Quibus cum labore & conatu meo sat subuentum putarem, nescio qua Typographi vel correctoris incuria aut festinatione errata nonnulla hinc inde irrepserint, qua cum sub finem libri huius emendata, videre liceat, operam hanc meam qualemcumq; equi boniq; consulto, & dum ea frueris in tui emolumentum suspice & suscipe, benignè perpetuum Authoris huius monumentum. Vale.



PRÆEA